

PONTIFICIA COMMISSIONE
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. III - N. 2

1971

COMMUNICATIOES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS
CANONICI RECOGNOSCENDO

VIA DELL'ERBA, 1 - 00193 ROMA

NUM. 2

DECEMBRI 1971

EX ACTIS PAULI PP. VI

Constitutiones Apostolicae

- | | |
|--------------------------------------|-----|
| I. Laudis canticum | 109 |
| II. Divinae consortium naturae . . . | 115 |

Allocutiones

- | | |
|---|-----|
| I. Lex moralis hodie summe necessaria | 122 |
| II. Auctoritas est servitium caritate vi- | |
| vificatum | 123 |
| III. De germana Populi Dei natura . . | 127 |
| IV. De Ecclesia aedificanda deque pe- | |
| ricalis contra rectum iudicium aver- | |
| tendis | 129 |
| V. Munus Hierarchiae | 131 |
| VI. Caelibatus sacerdotalis | 133 |
| VII. Ecclesia: quid est? | 134 |

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

S. Congr. pro Doctrina Fidei

- | | |
|--------------------------------------|-----|
| Normae ad apparandas causas etc. . . | 138 |
| Litterae circulares | 144 |

S. Congr. pro Clericis

- | | |
|---------------------------------------|-----|
| De reformatione vestium choralium . . | 147 |
|---------------------------------------|-----|

S. Congr. pro Religiosis et Inst. saec.

- | | |
|----------------------------------|-----|
| Normae pro paenitentia | 149 |
|----------------------------------|-----|

S. Congr. pro Cultu divino

- | | |
|---|-----|
| Notificatio de Missali romano, Liturgia | |
| Horarum et Calendario | 151 |

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

- | | |
|-----------------------------------|-----|
| Litterae circulares | 154 |
| Normae pro tribunalibus | 161 |

Pont. Commissio Decretis Conc. Vat. II interpretandis

- | | |
|---------------------------------------|-----|
| Responsa ad proposita dubia | 167 |
|---------------------------------------|-----|

ACTA COMMISSIONIS

- | | |
|---|-----|
| Communicatio de schemate Legis Eccl. fun- | |
| damentalis | 169 |
| Coetuum studiorum labores | 186 |
| Opera consultorum | 187 |
| I. De clericis et S. Hierarchia | 187 |
| II. De sacramentis | 197 |
| <i>De baptismo</i> | 198 |
| <i>De confirmatione</i> | 202 |

DOCUMENTA

- | | |
|--|-----|
| I. Conferentia de schemate Legis Eccl. | |
| fund. | 206 |
| II. De quaesitis a diurnariis propositis | 210 |
| III. « A Curial Constitution » | 212 |

NOTITIAE 214

INDICES

Indices anni 1971

- | | |
|---------------------------------------|-----|
| I. Index locorum e Sacra Scriptura | |
| citatorum | 217 |
| II. Index locorum ex Concilii Vatica- | |
| ni II textibus citatorum | 219 |
| III. Index canonum C. I. C. citatorum | 221 |
| IV. Index nominum personarum | 225 |
| V. Index rerum generalis | 227 |

ordinibus constitutus statum clericalem amittere potest sive rescripto Apostolicae Sedis, ad instantiam ipsius clericis concessum, sive sententia iudiciali poenam degradationis irrogante, sive tandem sententia iudiciali aut decreto administrativo, ad instantiam clericis. In iure Codicis, sententia iudiciali ad statum laicalem redigi tantum potest clericus qui metu gravi coactus ordinem sacrum recepit, si saltem postea ordinationem ratam non habuit (can. 214). In schemate norma proponitur, ut videtur magis aequa, cuius ratione per sententiam iudiciale aut decretum administrativum a statu clericali dimitti potest clericus qui, sive ratione metus gravis sibi incussi sive alia causa, debita libertate gavisus non est, itemque clericus qui probatur gravi laborare infirmitate, qua incapax redditur qui obligationem de qua in can. 132, obligationem scilicet ad continentiam suscipere aut servare non potest.

Effectus deinde determinantur amissionis status clericalis. Secundum ius Codicis, clericus in maioribus ordinibus constitutus qui rescripto Apostolicae Sedis aut poena degradationis amittit statum clericalem, eo ipso amittit officia ecclesiastica et iura clericis propria, atque exceptus est ab obligationibus eidem statui propriis, sed obligatione tenetur coelibatus (can. 213). In schemate proponitur regula generalis, vi cuius omnis qui statum clericalem ad normam iuris amittit, cum eo amittit iura statui clericali propria et officia quae eidem statui sunt reservata, sed *nullis* adstringitur obligationibus statui clericali propriis. Altera autem ex parte proponitur norma, vi cuius clericus in maioribus ordinibus constitutus qui dimissionem a statu clericali *petierit*, nullum interim officium ecclesiasticum implere nullumque ministerium exercere potest, atque obligationibus statui clericali propriis adstringitur, sola excepta obligatione horarum canoniarum.

De readmissione ad statum clericalem tandem agitur. Ut clericus qui statum clericalem amisit denuo inter clericos adscribi possit, proponitur ut serventur normae quae habentur in canone 212, §§ 1 et 2 Codicis I. C. (Willelmus Onclin, *Relator*).

2

DE SACRAMENTIS

Consultores Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, qui membra sunt *Coetus studiorum de Sacramentis*, schemata apparant legislationis canonicae recognitae de sacramentis, excepto

quidem sacramento matrimonii, cuius legislationi recognoscendae alius coetus incumbit. Itaque, a coetu studiorum de Sacramentis recognoscendi sunt canones Codicis I. C. generales (can. 731-736) necnon eiusdem Codicis canones de baptismo (can. 737-779), de confirmatione (can. 780-800), de sanctissima Eucharistia (can. 801-869), de poenitentia (870-936), de extrema unctione, quae vero hodie unctionis infirmorum vocatur (can. 937-947) et de Ordine (can. 948-1011). Iam diu ante sessiones habendas, a diversis consultoribus vota proponuntur, quae respiciunt recognitionem canonum de sacramentis, de quibus in sessione tractandum est. Ex collatis his votis a coetus relatore relatio conficitur, in qua variae ponuntur quaestiones variaeque indicantur quae ad earundem solutionem a consultoribus propositae sunt sententiae. In sessionibus deinde habetur disceptatio oralis, qua exhausta, maiestate suffragiorum, saepius vero unanimi consultorum consensu, textus probatur normarum, quae Commissioni Cardinalium proponetur.

Apparata iam sunt schemata legislationis recognitae de plerisque sacramentis. Quae tamen schemata iterum a coetu consultorum consideranda sunt, antequam Commissioni Cardinalium subiicientur. De his vero schematibus brevis conspectus iam tradi potest.

1. DE BAPTISMO

In recognoscendis Codicis I. C. canonibus de baptismo, ratio habita est constitutionum et decretorum Concilii Vaticani II, itemque praescriptorum quae continent novus Ordo Baptismi atque Directorium ad ea quae a Concilio Vaticano II de re oecumenica promulgata sunt exsequenda.

Servatur in schemate proposito ordo dicendorum qui habetur in Codice I. C. Itaque, post aliqua praescripta generalia, agitur per sex Capita: de Baptismi ministro, de Baptismi subiecto, de ritibus et caeremoniis Baptismi, de patrinis, de tempore et loco Baptismi atque de collati Baptismi probatione et adnotatione.

Praescripta generalia seu praeliminaria.

Codicis I. C. can. 737, § 1 statuit haec quae sequuntur: « Baptismus, Sacramentorum ianua ac fundamentum, omnibus in re vel saltem in voto necessarius ad salutem, valide non confertur nisi per ablutionem aquae verae et naturalis cum praescripta verborum forma ». Iam vero de significatione et momento baptismi et de valida eius colla-

tione agitur in schemate Legis Ecclesiae fundamentalis, in quo haec proponuntur praescripta, in can. 67: « § 1. Primum quidem omnium sacramentorum locum tenet sanctum baptisma, quod vitae spiritualis ianua est. Per ipsum enim homines, accipiendo Spiritum Sanctum, indelebili charactere Christo configurantur, consortes fiunt divinae naturae et filii Dei, atque incorporantur Ecclesiae. § 2. Baptismum valide confert quilibet homo intendens agere quod Christus instituit; eius tamen ministri ordinarii sunt sacerdotes et diaconi ». Quae praescripta si remaneant, non iterum in legislatione Codicis de baptismo recipi debent. Si vero non remaneant, uti praescripta in titulo de baptismo Codicis I. C. proponi possunt.

In Codice autem recognito servanda sunt alia in can. 737, §§ 1 et 2 Codicis I. C. habentur generalia praescripta. Quare can. 1 (*Codex I. C.* 737), § 1 proponitur ut sequitur: « Baptismus valide confertur tantummodo per ablutionem aquae verae cum legitima verborum forma ». Eiusdem canonis 1 § 2 distinctionem indicat inter formas collationis baptismi, sed verbis utitur aptatis novo Ordini baptismi: « Baptismus ministratur sive forma sollemniore, scilicet omnibus servatis ritibus et caeremoniis quae in probatis ritualibus libris praecipiuntur, sive forma simpliciore ».

CAPUT I. *De baptismo ministro*

Praescripta Codicis I. C. de baptismo ministro, in schemate proposito mutantur, ratione habita doctrinae Concilii Vaticani II de diaconorum muneribus (cf. Const. *Lumen gentium*, n. 29) et de auxilio quod praebere possunt catechistae (cf. Decr. *Ad gentes divinitus*, 17), ratione etiam habita praescriptorum quae edita sunt Litteris Apostolicis Motu Proprio datis *Sacrum Diaconatus Ordinem*, d. 18 iunii 1967, n. 22, necnon novi Ordinis baptismi. His inspectis documentis, ministri ordinarii baptismi sunt Episcopus, presbyter et diaconus. Absente autem vel impedito sacerdote et diacono, huius sacramenti minister est catechista, immo, in casu necessitatis, quilibet homo. Sane, iura parochorum sunt servanda, et ideo remittitur ad canones quibus eorundem iura determinantur.

Servatur praescriptum quod habetur in can. 739 Codicis I. C., sicut et praescriptum can. 744. Supprimuntur praescripta cann. 740, 741, 743, atque 742, §§ 2 et 3. Praescriptum can. 742, § 1, de requisita praesentia testium, remittitur ad Cap. VI, de probatione baptissimi collati.

CAPUT II. *De baptismo subiecto*

Etiam Codicis I. C. praescripta de baptismi subiecto aptantur doctrinae Concilii Vaticani II et documentis a Sancta Sede editis. Insuper Codicis praescripta ad simpliciorem formam rediguntur, iis suppressis quae necessariae non videntur, quia in alio loco statuuntur, necnon iis quae non congruunt disciplinae iuridicae et casuisticam sapiunt.

Imprimis habetur norma generalis, de qua in can. 745, § 1, vi cuius: « baptismi recipiendi capax est omnis et solus homo nondum baptizatus ». Ad baptismum fetus abortivi quod attinet, omittuntur varia Codicis praescripta, et norma generalis proponitur, vi cuius « fetus abortivi, si vivant, quantum id fieri possit baptizentur ».

Deinde agitur de baptismo infantium. Ut baptizari possint, requiritur ut spes habeatur fundata eos in religione catholica educatos iri atque ut parentes, saltem eorum unus, aut qui legitime, scilicet ad normam iuris competentis, eorundem locum tenet, consentiant. Etiam infantes qui in discrimine vitae versantur et morituri praevidentur, licite non baptizantur, si ambo parentes aut ei qui eorum locum tenent sint expresse contrarii. Ad infantes expositos aut inventos quod spectat, nisi re diligenter investigata de eorum baptismo constet, baptizentur.

Posthaec normae traduntur de baptismo adulorum, quae vero quoad substantiam convenient cum praescriptis can. 752 Codicis I. C.

Tandem proponuntur praescripta quae casus respiciunt in quibus dubium aliquod movetur de baptismo collato aut de eius valida collatione. In iisdem vero praescriptis attenduntur quae proponuntur principia in Directorio quod Secretariatus ad christianorum unitatem fovernmentum edidit, ad ea quae a Concilio Vaticano II de re oecumenica promulgata sunt exsequenda.

CAPUT III. *De ritibus et caeremoniis baptismi*

Etiam quae in Codice I. C. habentur de ritibus et caeremoniis baptismi praescripta ad simpliciorem rediguntur formam: generalia tantum praescripta proponuntur, quarum determinatio plerumque relinquitur Episcoporum Conferentiae regionis.

Normae imprimis proponuntur de ritu quo quis baptizandus est. Servantur praescripta quae habentur in Codice I. C., can. 756, §§ 1 et 2. Etiam praescriptum § 3 huius canonis servatur, vi cuius « si unus tantum parentum sit catholicus, proles ritu catholico baptize-

tur ». Cum vero dubium exsurgere possit de ritu, latino aut orientali, quo baptizari debeat, v.g. cum agitur de prole patris orthodoxi et matris catholicae ritus latini, proponitur ut Episcoporum Conferentiae per normas peculiares maiorem secundum adiuncta tradant determinationem.

De forma ministrandi baptismum similiter generalis norma proponitur: conferri potest baptismus sive per infusionem sive per immersionem, iuxta Episcoporum Conferentiae regionis praescripta.

Non agitur in iure recognito de supplendis caeremoniis quae in baptismi collatione praetermissae fuerunt. Id tantum proponitur statuendum ut infans extra Ecclesiam baptizatus, congruo tempore ad ecclesiam deferatur ut in eadem praesentetur.

Tandem generalis etiam norma proponitur nomen quod spectat ei qui baptizatur imponendum, scilicet: curent parochi ut nomen non sit a sensu christiano alienum.

CAPUT IV. *De patrinis*

Servatur norma Codicis I. C., canonis 762, quae modo generali forma proponitur enuntianda: « Ex vetustissimo Ecclesiae more, nemo baptizetur, nisi suum habeat, quantum id fieri possit, patrinum ». Supprimuntur praescripta can. 763 Codicis I. C., sed servatur norma can. 764, vi cuius patrinus unus tantum sit requiritur, vel etiam unus et una haberi possunt.

Ad requisita quod attinet ut quis valide patrinus esse valeat utque licite patrinus admittatur, servantur plerumque praescripta Codicis I. C., praescripta scil. can. 765 et 766. Quae tamen praescripta simpliciore forma enuntiantur atque ratio in eis habetur normarum quae, ad munus patrini a fratribus seiunctis suscipiendum, traduntur in Directorio oecumenico, nn. 48 et 57.

De cognatione spirituali, quam in iure Codicis I. C. contrahunt cum baptizato baptizans et patrinus, non fit mentio in schemate, quia talis cognatio nullum deinceps habebit effectum iuridicum.

In fine distinctius quam in can. 769, indicantur obligationes quas suscipit patrinus erga baptizatum.

Notandum tandem est in alio studiorum Coetu, scilicet in Coetu « de personis physicis et moralibus » admissum esse ut, si post baptismum collatum patrinus deficiat, aliis infanti dari possit, cuius nomen in libro baptizatorum inscribendus est.

CAPUT V. De tempore et loco baptismi

De tempore baptismi conferendi, duplex habetur praescriptum. Parochi obligatione tenentur curandi ut infantes infra priores post nativitatem hebdomadas baptizentur; si vero infans in periculo mortis versetur, sine mora baptizandus est. Ut in Codice I. C. statuitur (can. 772), baptismus qualibet die celebrari potest. Attamen propter rationes pastorales et liturgicas, normae statui possunt tum ab Episcopis dioecesanis tum ab Episcoporum Conferentiis.

De loco baptismi conferendi, servatur praescriptum can. 778 Codicis, verbis sequentibus enuntiatum: proprius baptismi in forma sollemniore administrandi locus est baptisterium in ecclesia aut oratorio publico. Additur vero quod pro regula haberi debet ut infans in ecclesia paroeciali parentum baptizetur. Quoad substantiam servantur etiam praescripta cann. 774 et 775. Ad quaestionem utrum baptismus in domibus privatis conferri possit, generalis tantum norma proponitur, vi cuius id extra casum necessitatis non licet, nisi Ordinarius iusta et rationabili de causa id permiserit.

CAPUT VI. De collati baptismi probatione et adnotatione

Ad probationem baptismi quod attinet, requiritur, si non adsit patrinus, ut duo testes habeantur.

Ad adnotationem baptismi quod spectat, servantur normae can. 777 Codicis I. C., de obligatione parochi adnotandi baptismum in libro baptizatorum. Distinctiores vero traduntur normae pro casibus quibus baptismus nec a parocho nec eo praesente administratur aut quibus baptismus confertur in paroecia quae non est parentum propria.

2. DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS

Notetur imprimis canones de Sacramento Confirmationis in schemate propositos, compositos esse ante promulgatam Constitutionem Apostolicam *Divinae Consortium Naturae* d. 15 augusti 1971. Apparet autem cum praescriptis huius Constitutionis convenire qui in hoc schemate proponuntur canones.

In his canonibus componendis, ratio habita est doctrinae atque praescriptorum, quae in Constitutionibus et Decretis Concilii Vaticanani II de Confirmatione traduntur.

Etiam de Confirmatione, servatur in schemate proposito ordo dicendorum qui habetur in Codice I. C., ideoque, post aliqua praescripta generalia, agitur per quinque Capita, de Confirmationis ministro, de Confirmationis subiecto, de tempore et loco Confirmationis conferendae, de patrinis atque de collatae Confirmationis adnotatione et probatione.

Praescripta generalia seu praeliminaria.

In Codice I. C. non habetur canon, quo ante omnia affirmantur significatio Sacramenti Confirmationis eiusque momentum in vita christiana. Talis autem canon, de sententia consultorum, requiritur. Sed, de significatione et momento huius Sacramenti agitur in schemate Legis Ecclesiae fundamentalis, in quo haec quae sequuntur habentur praescripta, in can. 68: « § 1. Sacramento confirmationis imprimitur character quo fideles perfectius Ecclesiae vinculantur, speciali Spiritus Sancti robore ditantur et ita ad fidem, tanquam veri Christi testes, verbo et opere simul diffundendam et defendendam arctius obligantur. § 2. Ministri originarii Sacramenti confirmationis sunt Episcopi; illud tamen etiam Presbyteri, hac facultate sive ipso iure sive speciali auctoritatis competentis concessione donati, conferre valent, servatis sacrorum canonum praescriptis ». Quae praescripta si serventur, non iterum in legislatione de confirmatione Codicis inseri debent; si vero non serventur, proponi potest ut eadem, vel saltem praescriptum § 1, in Codice inserantur.

Duplex proponitur generale praescriptum de confirmatione, alterum de constitutivis huius sacramenti elementis, alterum de praevia renovatione promissionum baptismi.

In primo canone, qui respondet canonibus 780 et 781 Codicis I. C., statuitur Sacramentum confirmationis conferri per manus impositionem cum unctione chrismatis in fronte, ipsa ministri manu facta, et per verba in probatis liturgicis libris praescripta; chrisma vero requiritur ab Episcopo sit consecratum, etiamsi confirmatio a presbytero ministretur.

In altero canone id statuitur: « Ut Sacramenti confirmationis intima cum tota initiatione christiana connexio eluceat, promissiones baptismi renovent confirmationem recepturi ». Exsecutioni ita mandatur quod statuit Concilium Vaticanum II, in Constitutione *Sacrosanctum Concilium*, 71: « Ritus Confirmationis recognoscatur etiam ut huius Sacramenti intima connexio cum tota initiatione christiana clarius eluceat; quapropter renovatio promissionum Baptismi convenienter ipsam Sacramenti susceptionem praecedet ».

CAPUT I. *De ministro confirmationis*

De ministro confirmationis, proponitur, ut norma prior, haec quae sequitur: § 1. Ordinarius confirmationis minister est Episcopus. § 2. Extraordinarius confirmationis minister est presbyter cui haec facultas vi iuris communis aut peculiaris concessionis a competenti auctoritate factae competit ». Sane, in Constitutione *Lumen gentium*, 26, affirmatur. Episcopos esse ministros *originarios* confirmationis. Hic quidem modus dicendi est magis theologicus quam iuridicus; insuper etiam in schemate Legis fundamentalis, quae proponitur pro Ecclesia latina et Ecclesiis orientalibus, declaratur similiter Episcopos esse ministros originarios. In Codice I. C. latino, e contra, quod pro solis christifidelibus ritus latini valet, melius dici videtur Episcopum esse ministrum *ordinarium*; hic loquendi modus est magis iuridicus et indicat Episcopum, vi ipsius sui Ordinis et officii episcopalium, hac gaudere potestate, et facultate. Minister extraordinarius vocatur presbyter cui haec potestas confertur, sive ipso iure sive peculiari facultate.

Deinde, statuitur quinam ipso iure facultate confirmationem conferendi gaudent: latiores proponuntur facultates quoad eos qui in periculo mortis versantur. Proponitur etiam ut ipse Episcopus dioecesanus certo vel certis presbyteris eandem facultatem concedere valeat, sed affirmatur eundem, quantum id fieri possit, confirmationem administrare debere per se vel per alium Episcopum.

In propria dioecesi Episcopus confirmationem conferre potest etiam extraneis, qui a proprio parocho praesentantur; idem valet de presbyteris facultate donatis. In alieno vero territorio, Episcopus de se illicite confirmationem confert, presbyter autem facultate gaudens, invalide eandem confert extra territorium sibi designatum.

Tandem agitur de ritu in quo confirmatio conferri debet, et de obligatione eam rite et rationabiliter potentibus conferendi.

CAPUT II. *De confirmationis subiecto*

Breviter in hoc Capite agitur de capacitate ad confirmationem recipiendam, de dispositionibus requisitis ad eandem licite recipiendam, et de obligatione hoc Sacramentum tempore opportuno recipiendi.

Ad aetatem requisitam quod attinet, norma proponitur generalis, vi cuius Sacramentum confirmationis conferri potest circa aetatis annum consuetudine loci aut Episcoporum Conferentiae decreto determinatum, nisi adsit periculum mortis aut gravis causa aliud suadeat.

CAPUT III. De tempore et loco confirmationis conferendae

De tempore quo conferendum est hoc Sacramentum proponitur norma, vi cuius quovis tempore conferri potest, et licet expedit ut intra Missam ministretur, ex causa tamen iusta extra Missam quoque conferri potest.

De loco proponitur norma, iuxta quam per se in ecclesia hoc Sacramentum conferendum est, atque ex iusta causa in quolibet loco digno ministrari potest.

CAPUT IV. De patrinis

Iuxta schema propositum, etiam in confirmatione, quantum id fieri possit, adesse debet patrillus. Requisita ut quis valide sit patrillus quoad substantiam sunt ea quae in Codice I. C., can. 795 indicantur. Ut quis vero licite ad munus patrini admittatur, requisitis satisfacere debet statutis de patrinis in baptismo. Supprimitur itaque praescriptum Codicis I. C., can. 796, 1°, iuxta quod requiritur sit aliis a patrino baptismi. Immo, uti aliqui consultores declararunt et notatur in Relatione, optandum est ut patrillus baptismi sit etiam patrillus confirmationis.

De cognatione spirituali, quae secundum Codicem I. C., can. 797 oritur ex valida confirmatione, mentio non fit in schemate, cum talis cognatio nullum habeat effectum iuridicum. In can. 797 recognitio, uti proponitur, tantummodo de patrini munere agitur.

CAPUT V. De collatae confirmationis adnotatione et probatione

Quae in Codice I. C. habentur praescripta de adnotatione et de probatione collatae confirmationis, in schemate quoad substantiam servantur.

In numero proximo harum Communicationum, schematum de aliis Sacramentis quae proponuntur summarium tradetur (Willelmus Onclin, *Relator*).

MONITUM

Si quae schemata canonum in ephemeridibus vel commentariis arbitrario eduntur, praeter notitias in hoc Commentario datas, monet Commissio nostra talia schemata nullam neque officialem neque officiosam indolem p[ro]ae se ferre.

